

TRACTATUS VARI, DE  
 VERA PRAEPARATIONE ET  
 VSV MEDICAMENTORVM  
 Chemicorum.

P R A E F A T I O,

*In qua de Philosophia nostrae dignitate  
 & excellentia agitur.*

**S**iquis considerare vellet, humane Lector  
 Medicinae originem, non à Machaone, non  
 à Podalyrio, non ab Hippocrate, minus ve  
 à Galeno reperet. Altius nobis a surgendum  
 est: Eius origo etiam supra Chironis, imo Apollinis ipsius  
 tempora, querenda est. Igitur ad eos maxime nos refe-  
 ramus, qui aetatem vitae longissimam vixerunt. Quales  
 erant Adam, Henoch & ceteri. Hi omnes natura scien-  
 tiam à Deo edocti, Medicinae perfectam agnitionem ha-  
 buerunt. Quae in ualescentibus peccatis paulatim ex-  
 ringui coepit: & in eas tandem tenebras deducta est, qui-  
 bus eam inuolutam hodie cernimus. Et ipse quidem pri-  
 mus parens nomina rebus omnibus, iubente Deo & in-  
 spirante, imponens, rerum omnium se peritissimum pro-  
 didit. Ex illa autem rerum non externatantum sed pe-  
 nitissima cognitione, Medicina descendit. Nos vero ve-  
 rae Medicinae principium à patribus ad ipsum rerum opi-  
 ficem referamus. Altissimum creasse Medicinam de  
 terra, & hominibus dedisse scientiam, ut altissimus ho-  
 noretur in mirabilibus suis, sacra pagina docet. Est enim  
 Medicina non minima pars magnalium & mirabilium  
 Dei, quae humanum ingenium ex seipso haud agnoscere

Medicinae  
 cognitio à  
 Deo.

Medicina  
 Dei ma-  
 gnalium  
 pars.